



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

42. De mysteriis in Christo crucifixo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

## MEDITATIO XLII.

*Mysteria in Christo crucifixo.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Quis  
crucifi-  
xus?

I.

Deus.

Is. 66. 1.

Ps. 17. 11

Isa. 41.

13.

Christum pendentem considerabo ut Deum: quare sub cruce positus, ab ea in cœlum oculos mentis attollam, & eundem illum in cœlo Empyreo tanquam in throno sedentem conspiciam: *cujus cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum ejus.* Et hic, *qui ascendit super Cherubim, & ambulat super pennas ventorum, quique appendit tribus digitis molem terræ:* hic tribus clavis trabi affixus ipse pendet, etsi non tam ferreis illis, quam in corporeis alijs, amore in nos, obedientia erga Patrem, & zelo gloriæ illius. O, his configar ego etiam cruci! & Trifagion illud in actionem gratiarum pro tribus clavis canam, *Sanctus, sanctus, sanctus,* velans interim alis meis, ut Seraphim, faciem, & pedes Christi, ac profitens incomprehensibilem ejus esse tum majestatem gloriæ, tum humilitatem crucis.

II.

Sacerdos.

Heb. 6.

20.

1. Pet.

5. 4.

1. 2. 25.

Sacrificij virtus.

## PUNCTUM II.

Considerabo in cruce Christum tanquam *Sacerdotem magnum, Principem Pastorum, & Episcopum animarum nostrarum:* offerentem non sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed proprium, eumque rotum, in holocaustum suavissimum. Cujus tanta est virtus, ut rigo-

rigore justitiæ valeat ad satisfaciendum pro omnibus, quamvis infinitorum hominum, vel gravissimis peccatis, & quod offerens sit ipse Filius Dei; unde illius passiones vim accipiunt infinitam, tam merendi, quàm satisfaciendi.

Habet Sacerdos iste insignia sua: pro tiara coronam spineam: pro virga pastorali crucem (quamquam hæc etiam altaris vices subit) pro annulis clavos: pro veste sacerdotali carnem variè concisam, & sanguine purpuratam. Offeram ego vicissim aliquid, *cor contritum* & *humiliatum* *Deus non despicias*: offeram & sacrificium laudis. *ps. 50. 19.*

### PUNCTUM III.

Considerabo ut doctorem veritatis nobis *III.*  
Gà Deo datum, qui cùm per omnem vitam *Doctor.*  
verbo & exemplo docuisset, sub finem, ex cruce, quasi ex cathedra, veluti compendio, exposuit totius doctrinæ summam. Docuerat antea pluribus, qui sint beati verè habendi, earumque beatitudinum paradigma seipsum in cruce exhibuit. Ut maximè quadret illud: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* *Exod. 25. 40.* Et illud: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* *1. Cor. 2. 2.*

### PUNCTUM IV.

Considerabo ut ducem, ac bellatorem fortissimum, qui in monte Calvariæ, tanquam *Bellator fortissimus.*  
de- mus.

destinato pugnae loco, tartareas potestates devicit, easque in suo corpore triumphavit. Ipsius imprimis serpentis *caput contrivit* : qui primis hominibus in fraudem inductis, originale peccatum introduxit mundum, & per peccatum, mortem : ex quo peccato septem alia tanquam capita pullularunt : quod monstrum est, sicut *Draco ille rufus* in Apocalypsi *habens capita septem* : atque hunc etiam per crucem prostravit, in qua justificamur à peccatis. *Virga crucis devoravit virgas* Pharaonis, id est, omnes diaboli conatus eludendo, ut homines tandem à servitute illius vindicaret.

Confracta est testa in manibus Gedeonis, ut inclusa *lux* emicans perstringeret ac *sterneret Madianitas*. Ita passio Christo in carne, Divinitatis in ea habitantis infinita vis foras exertit sese, omnesque invisibiles adversarios, peccatum, mundumque debellavit.

---

## MEDITATIO XLIII.

### *De Titulo Crucis.*

#### PUNCTUM PRIMUM.

*Marc.*  
15. 36. **V**erba tituli, in quo, ut ait Marcus, continebatur causa ejus, id est, Christi, ob quam crucifixus fuit.

*Luc.* 2.  
21. **JESUS.** Hæc prima causa mortis, ut, juxta nomen suum, salvaret nos in sanguine suo. Unde & hoc nomen ipsi est impositum, cum effusio-